

Q. 188a

18

*Deum in opere reformat. Eccl. in
Suzonia omnia fecisse*

686

Yc
6247

Q. D. B. V.

AD

PANEGYRIN ACADEMICAM

SOLENNI

TRIVM

SS. THEOLOGIAE

LICENTIATORVM

RENVNTIATIONI

SACRAM

D. XXVI. AVGVSTI A. MDCCXXXIX.

MORE INSTITVTOQVE MAIORVM

CELEBRANDAM

ORDINIS THEOLOGICI FAVTORES OMNES

QVA PAR EST OBSERVANTIA ET HVMANITATE

INVITAT

HENRICVS *Klausing*

S. TH. D. ET PROFESSOR PVBLICVS ORDIN.

H. T.

PROCANCELLARIVS.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

Q. D. E. V.

REZIN ACAD. BONAEN

COLLEGIUM

TRIVIA

ST. THEOLOGICAE

LICENTIA TORVAM

IN ANNO 1711


D. K. A. V. A. T. A. T. A. D. C. O. L. L. E. G. I. U. M.

ORDINIS THEOLOGICI

DE THEOLOGICA

THEOLOGICAE

PROVINCIAE





Nemo facile de nobis vnus tam erit rerum omnium ignarus, vt, quae res gestae apud nos, ducentos hos ante annos sint, nesciat prorsus, et cognitas nulla ratione habeat, aut ab aliis relatas non acceperit. Desiderabuntur autem, qui τὸ Θεῖον, quod, si vlla vnquam in re alia, in his certe rebus, in conspectum se dedit multo clarissimum, perinde, ac fieri decebat, ad animum sibi revocent. Nec defuturi sunt alii, qui, quae euenerunt, omnia, vel casu, et volubilitate fortunae, accidisse, vel a nexu quodam necessario causarum omnium secundarum, quod olim fatum dicebatur, vel certe a solis humanis ac mundanis consiliis illorum, qui ab Ecclesia Romana secessionem facere inceperant, deriuanda esse, perhibeant. Nae illi, cum ipsis hostibus Euangelii, id agunt, vt sibi atque aliis, sed falso, persuadeant, *Deum hic nihil fecisse.* Quo magis necesse est, vt nos, pia grataque mente illorum temporum, maximorumque in Academiam nostram a Deo collatorum beneficiorum, memoriam repetituri, illud potissimum nunc demonstremus, *Deum hic omnia fecisse.*

Principio, non hominum, sed Dei, opus fuit, insignis illa rerum vicissitudo, ac mutatio, quae de improuiso interuenit,

IV

nit, prouinciarum Georgii, Ducis Saxoniae, earundemque ad Henricum, fratrem, translatio. IEHOVA enim solus Deus est, qui nos fecit, non nos ipsi, Psal. C, 3. Is est, qui solus super omnia terrae regna disponit; Esa. XXXVII, 16. Is etiam solus est, qui sunt homines omnes (etiam Principes) mori, dicitque; Reuertimini filii hominis, Psalm. XC, 3. Nec est ulli hominum omnium dominium aliquod in diem mortis suae, Eccles. VIII, 8. Definiti sunt dies omnium hominum a Deo, & mensum numerus apud Deum est ita constitutus, ut eum transgredi homines non possint, Job. XIV, 5. Fuit ergo etiam fortissimo Saxonum Duci, Georgio, dies emortalis a Deo constitutus, non vigesimus, uti RAYNALDVS T. XXI. *Annal. Eccles. ad annum MD XXXIX, Num. XIIX, sq.*, Cochlaei deceptus auctoritate, scribit, sed decimus septimus, Mens. April., dicti anni MD XXXIX, in quo, non suspicione veneni, quod denuo, cum Cochlaeo suo, RAYNALDVS fingit, sed senio LXVIII annorum, vi morbi iliaci, postquam ultra mensem decubuerat, viuendi finem fecit. Nec accusandus hic est, sed dignis laudibus ornandus, illustris SECKENDORFIUS, quando, *Commentar. de Lutheranism, Lib. III. Sect. XIX, §. 71, pag. 212 sqq.*, in huius quoque determinatione mortis Θεός τῶν τεσσερον seu argumenta specialioris gratiae ac prouidentiae diuinae euidentissima, se deprehendisse, testatus est, et nobis agnoscenda illa ac praedicanda reliquit. Siue enim ad verba vltima, Principis, multis inlyti virtutibus, Georgii, a Iacobo Apostolo, Patrono alias suo, ante prorsus auocati ad Christum solum, quibus obdormiuit, haec scilicet. *Tu igitur me adiuua, Saluator Iesu Christe, et miserere mei, per acerbam passionem mortemque tuam attendamus.* Siue ad animum nobis reuocemus consilia inita bene multa, et negotia omnia, nunc inchoata, nunc confecta, paulo ante, et post, hunc obitum, requirent illa a nobis hoc ἐπιτίμιον ὁ Θεός πάντα καλῶς πεποίηκε, Marc. VII, 37. Requirent, ut etiam illud huc reuocemus, quo, apud Esaiam, Cap. LV, 8, sq., *Cogitationes meae, inquit ipse IEHOVA, non sunt cogitationes vestrae, nec viae vestrae sunt viae meae. Sicut alti sunt coeli prae terra, sic altae sunt viae meae, prae viis vestris, et cogitationes*

riones meae, prae cogitationibus vestris. Atque iterum apud eundem Prophetam, cap. VIII, 10: *Consulite consilium, sed irritum fiat: Loquimini verbum, sed non consistat, quia ego, IEHOVA, sum cum populo meo.* Sed haec ad prima saltem initia spectant et fundamenta primum iacta sacrorum apud nos institutorum, in quibus iam licuit nobis Deum quasi $\Psi\eta\lambda\alpha\Phi\acute{\alpha}\nu$ καὶ τὰ θεῖα πολλά ἐυρίσκειν, secundum illud, Act. XVII, 26, quod legimus, si quidem vel in his folis, acquiescere velimus. Progressus autem et complementum totius huius negotii, *Delos* omnino, et inchoati, et perfecti, plura nobis et clariora τῶν θεῖων, seu specialioris providentiae diuinae, ad Academiam nostram spectantis, documenta dabit. Zelus certe ille vere diuinus fuit, $\eta\eta\eta\eta$ תתתת, 2 Reg. X, 16, καὶ Ζήλος τῆ ἰκκ τῆ Θεῶ, Joh. II, 17, quo excitabatur et ducebatur Dux Saxoniae Henricus, singulari prorsus munere a Deo Saxoniae referuatus, ὁ ζήλωτῆς τῆ Θεῶ ὑπάρχων, quemadmodum ante, ita vero etiam quam maxime, Georgii fratris sui, post, obitum. Erat alioquin ingenio praeditus, a negotiis arduis et difficilioribus abhorrente, eodemque, tum quidem temporis, nonnihil iam senio debilitato, quod importunis postulationibus, hostiumque comminationibus, et iniustus terroribus percelli haud difficulter poterat, ipso Iohanne Friderico, Saxonum Electore, iudice, in Literis ad Landgrauium missis, die V. mensis Maii, M D XXXIX. Sed in negotio reformationis semel inchoato, tam constans tamque imperterritus fuit, ut nullis omnino, vel promissionibus, et blanditiis, vel territionibus et minis, vel bellorum quoque et inuasionum periculis aut metu, vel vlla alia quadam ratione commoueri et flecti potuerit, ad desistendum ab opere *Delos* inchoato, et *Delos* etiam perficiendo. Quam constantem, impavidumque et immotum Christi imitorem, hoc quidem in negotio, se praestiterit, SLEIDANVS testis est, in Commentario suo, Lib. XII, ad annum M D XXXIX. Cum enim Dux Saxoniae, Georgius, morti proximus, legatos ad fratrem hunc suum, Henricum, mitteret, et hi variis vterentur argumentis, persuadendi causa, praecipue autem hoc dicerent, multum esse paratae pecuniae, multum exquisitae supellectilis et argenti plurimum,

VI

num, quae sit consecuturus omnia, modo voluntati fratris morem gerat, et religionem Euangelicam deserat, vel eam promittat non introducendam in ditiones suas. Ille mox e vestigio, quaedam, ex Matth. IV, 9, praefatus, respondit: An vero tanti esse apud me putatis vllas opes, ut, earum causa, velim ab agnita veritate puraque religione discedere? Multum certe vos expectatio vestra fallit. Addit IEREM. WEBERVS, in Tr., quem inscripsit, Lipsia Paradisus, etiam haec verba: Antequam Christum meum abnegaturus sum, cum mea uxore, scipione nos sustentante, terram mutabo. Et SECKENDORFIVS obseruat, d. l. ex Auctore Histor. MSS. de Henrico, verba illa priora dicta esse, non Ducis Georgii Legatis, sed Henrici Ministris, speciatimque huius Historiae Autori. Quo autem cunque modo haec res sese habeat, perinde est, dummodo nobis hoc concedatur, zelum illum, quo hic Princeps, pietate nulli facile secundus, regebatur, vere diuinum fuisse et prorsus singularem. Hic enim ille zelus est, quo, et publicas sanctissimi instituti prohibitiones, et Legatorum Regiorum postulata, instaurationi sacrorum inchoatae contraria, et querelas Episcoporum, Misenenfis, ac Martisburgensis, omnia denique reliqua, quae, tum quidem temporis, vel pericula erant metuenda, vel impedimenta vndiquaque ingruentia, inuicta cum animi constantia fiduciaque in Deum et Christum, Seruatorem suum, collocata, fortiter sustinuit, feliciterque, vel propulsauit, vel superauit. Tò δὲ Θεῶν, his in rebus maxime conspicuum, quod potissimum a nobis agnosci et praedicari debet, duplex est. Principio illud proprium solius Dei opus est, quod Proverb. XXI, 1, describitur: *Quemadmodum aquarum riuuli, sic cor Regum ac Principum est in manu Iehouae, quocumque vult, inclinatur illud.* Indicatur enim his verbis, auctore MARTINO GEIERO, ad h. l., non gubernationis obiectum, tantum primarium, sed eiusdem quoque maiestas summa et prorsus singularis, quae ad illud quoque se extendit, quod inter homines absoluti videtur esse imperii: Quae gubernationis diuinae maiestas ostendit, partim potentissimorum quoque imperantium coram Deo impotentiam, partim piorum, potentiores metuentium, securitatem, partim obstinatorum, voluntatem Regis se-

dere

tere et mutare praesumentium, vanitatem. Cum vero haec ipsa gubernationis diuinae maiestas, non vulgari, sed tam illustri modo, et tam singulari praestantissimoque gradu, se exhibuerit, in restitutione Euangelii per vniuersam Misniam, speciatimque hic Lipsiae, et imprimis in Academia nostra, ducentis abhinc annis, vt ab omnibus manifesto deprehendi possit, oportet GODOFREDVM ARNOLDVM, in *seiner Kirchen- und Ketzer-Historie*, P. 2. Lib. XVI, Cap. VII, §. 2. prae studio *seiner fälschlich vorgegebenen unparteyischen Nachrichten*, prorsus oblitum omnis fuisse veritatis et plenum odii, quod habebat in ipsam Euangelii doctrinam puram. Tantum enim abest, vt in toto illo negotio *μεγαλεία τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ* agnouerit, et zelum diuinum HENRICO, principi maxime pio, attribuere voluerit, vt potius hac vsus criminatione sit: *Hertzog Henrich habe alles so leichtebinn gethan, weil er sich auf den Schmalkalder Bund verlassen*, hoc est, nihil omnino ex singulari diuina directione, aut zelo pio et diuino eum excitatum suscepisse. *Was eigentlich hinter der ganzen Sache gesteckt, nemlich eine heimliche jalouisie, das könnte man unschwer muhmassen.* Man hätte bey dieser Reformation an keine wahre Veränderung des Hertzens und des ganzen Lebens gedacht, man wäre vergnügt gewesen, wenn sich die Leute in äußerlichen Wesen accommodiret hätten: da denn hernach die Einbildung daraus entstanden, denn wäre man gut Evangelisch und rein, wenn man etliche Papistische äußerliche Dinge verlassen hätte. Und mit solchen Wahn sey das Volck mit seinen Lehrern nachhero aufgewachsen, und bis dato unterhalten worden. Sed mitto huius generis criminationes, quibus vsus est in totum hoc reformationis negotium Arnoldus, communis ille atque infensissimus hostis omnium purioris doctrinae statorum. Praesertim, cum etiam illi, quos, vt testes narrationum suarum, excitauit, *Seckendorffius, Fabricius, Iustus Jonas, Spalatinnus, Heidenreichius*, et ceteri, illis ipsis in locis, ad quos prouocat, eidem contradicant. Subscribo autem lubens meritoque IOACHIMO CAMERARIO, qui in *Vita Philippi Melan.* p. 184 obseruat, *Ducem Saxoniae, Henricum, nihil fere, ex humanis consiliis fecisse,*

VIII

cisse, sed Deum Spiritum S. cor eius deuotum ita penetrasse, vt in oris Misniae vniuersae haud tantum, sed ante omnia etiam Lipsiae, et in Academia hac nostra, Ecclesiae quasi gremium pararet, et absque mora Repurgationis opus aggredieretur. Tu vero, anima mea, gaude et exulta, propterea quod dextra IEROVÆ, haec fecit omnia, et manus Domini haec operata est! Benedic, anima mea, Domino, et omnia viscera mea Nomini sanctitatis eius! Benedic, anima mea IEROVÆ, et non obliuiscere tot tantorumque beneficiorum eius. Psalm. CIII, 1 sq.! Huius enim generis beneficia omnino amittuntur et a Deo retrahuntur, quando non agnoscuntur et celebrantur, exemplo Israëitarum in deserto, qui festinarunt ad obliuiscendum operum diuinorum, et Dei Seruatoris sui, qui fecerat magna in Aegypto, mirabilia in terra Chami, et tremenda ad mare Suph, qui etiam perdidisset eos penitus, nisi Moses, electus Dei seruus, stetisset in rupura ante ipsum, vt auerteret excandescentiam eius a disperdendo eos, Psalm. CVI, 13, 21, 22, 23. Alterum, quod iure meritoque, vt Θεῖόν τι agnosci a nobis et celebrari debet, illud est, quod 2 Cor. XII, 9, asseritur: ἡ δύναμις τῆ Θεῶ ἐν ἀδυναμίαι τελευτῶται: Sensus enim et scopus horum verborum hic est, potentiam Dei, non quidem perfici, quia infinite perfectum perfici amplius non potest, at omnium tamen clarissime cognosci, et omnium maxime a nobis agnosci, posse et debere, quod sit infinite perfecta, seu omnipotentia, ἐν ἀδυναμίαι, in infirmitate et impotentia, hoc est, in illis, qui, infirmitatibus atque afflictionibus, aliis atque aliis subiecti, magna saepe laborant impotentia. Hinc ipse Apostolus sic inde colligit, d. l. commate 10, Laetus igitur acquiesco in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis, pro Christo, addita hac causa: ὅτιαν γὰρ ἀδυναμίαι, τότε δυνατός εἰμι, quum enim infirmus sum, tum potens sum, et ipsa potentia Dei in nostra impotentia quam maxime se exserit, et efficacem demonstrat. Idem vero Apostolus alias, speciatim. 1 Cor. I, 27, sq., asseuerat, hoc quoque proprium praecipuumque Dei opus semper fuisse, vt, quae stulta habentur in mundo, illa elegerit Deus, vt sapientes pudefaceret, et, quae infirma reputantur in mundo, ea delegerit,

rit,

rit, ut pudefaceret valida, τὰ ἰσχυρὰ, ut nulla caro coram Deo gloriatur. Quocum si coniungas illud, quod Hanna, cum gratias ageret IEHOVAE, pro filio, ut proprium Dei morem, quem obseruare solet, deuotissima mente manuque extollit, 1 Sam. II, 6. *Iehoua ante occidit, et postea uiuificat: Descendere fuit antea in infernum, et postea facit iterum ascendere:* necesse est, ingenue ut profitearis Deum hunc quoque morem utrumque retinuisse, eundemque nobis tum quidem quasi ante oculos posuisse, notumque ac manifestatum reddidisse, cum Euangelii lucem puriorem nobis hic Lipsiae primum, ac postea quoque in Academia nostra, accenderet atque impertiretur. Permiserat nimirum Deus, iustum in maiores nostros ante ducentos annos exercens iudicium, ut illi, errorum tenebris inueteratorum obscurati, quasi mortui et enecati, per longam annorum seriem iacerent. Postea autem, quam ex his tenebris illos in claram Euangelii lucem adduxit, quasi ex mortuis eos resuscitauit. Et, cum idem Deus in vicino Electoratu e tenebris clarissimam purioris doctrinae lucem iam reuocauerat, tum demum, viginti aliquot post annos, maiores nostros bonos quidem illos, et lucem illam in vicinia accensam cupidissime quaerentes, primo iterum quasi descendere fecit in infernum, sed eum in finem, ut postea eos, tanto illustriori cum manifestatione illius, quod nobis hoc loco τὸ Θεῖον nuncupatur, hoc est, cum singularis atque extraordinariae suae gratiae exhibitione, ex hoc inferno educeret. Atque ego quidem haud scio, maiorisne cum gratiae sapientiaeque, an potentiae, demonstratione diuinae hoc opus arduum, his ipsis diebus, ducentis annis ante, et inceptum sit a Deo, et, paucarum septimanarum interuallo interiecto, etiam confectum? Illud certum est et quasi ante oculos positum omnibus, quod ἡ δύναμις τῆς Θεῆς, in toto hoc quoque opere, ἐν ἀσθενείᾳ τελειωθῆ. Dux ipse, Henricus, quo meliorem Principem, nec Misnia uniuersa, nec Lipsia, nec Academia nostra, illis quidem temporibus, sibi exoptare potuisset, necesse habuit, ut cum Apostolo de semet ipso profiteretur: ὅταν ἀσθενῶ, τότε δυνατός εἰμι. Et quid prohibet, quo

X

minus etiam hoc concedamus, quod idem Princeps, varie ante tentatus, et postea ex omnibus afflictionibus et *δοκιμασιαις* a Deo, maxime notabili modo, liberatus, etiam illud Hannae suum facere potuisset: *IEHOVA antea me occidit, et postea iterum vivificavit: Fecit antea me descendere in infernum, et postea effecit, ut denuo ascenderem?* Haec omnia cum ita sint, et tot litterarum monumentis confirmata, illorum, qui partim testes omni fide digni sunt, partim ipsi spectatores viui ac praesentes fuerunt, et quod plus valet, veritatis quoque hostibus ipsis primum addicti, facile efficient, ut nemo fidem adhibeat relationibus istis, vel GODOFREDI ARNOLDI, supra iam excitatis, vel LUDOVICI MAIMBURGI, in *Historia Lutheranismi, ad Ann. MDXXXIX, T. I, p. 244,* vel ODORICI RAYNALDI, *d. l. num. 19,* vel aliorum, quibus non tantum leuitatem animi, quasi desultoriam, nunc in Principe ipso optimo maximeque pio et constanti, adeoque ab omni leuitate desultoria longissime remoto, nunc in populo vniuersam Misniam incolente, speciatimque Lipsiam tum quidem temporis inhabitante, nunc in Capite et Membris, Academiam nostram tum constituentibus, acerbe accusarunt, sed etiam aliis, ieiuno frigidoque modo praetextis, criminationibus eos onerarunt. Quid dicam de illis, quorum vel auxilio et consilio, vel ministerio vsus est Serenissimus Princeps, *Henricus*, in repurgandis sacris, et in vera Euangelii luce accendenda non tantum, in vrbe nostra Lipsiensi, sed speciatim in alma quoque Matre Academia nostra, ducentis abhinc annis? Quid quaeso est, quod eos, *ἀνιήτες καὶ ἀνικήτες*, uti veteres loquebantur, vel, ut alii ex Patribus loqui amant, *ἀχειρώτες*, immotos prorsus, inuictos atque inexpugnabiles, similes denique Stephano reddidit, de quo testatur Lucas, *Act. VII, 10, ὅτι ἐν ἰσχυρῶν ἀντιστήναι τῇ σοφίᾳ καὶ τῷ πνεύματι, ᾧ ἐλάλει, quod non potuerim, hostes eiusdem, resistere sapientiae et Spiritui, quo loquebatur?* Nisi illud ipsum, quod nobis hoc loco *τὸ θεῖον* dicitur, hoc est *σοφία καὶ τὸ πνεῦμα τῷ Θεῷ*, eadem illa sapientia, et idem ille Spiritus S., quo locutus olim Stephanus est, vel, qui olim ex Stephano locutus est. Sic enim BEZA, sed sine causa, legere mauult, *ad Act. VI, 10,* et obferuat,

spiritum



feruat, se in vetustissimo quodam Codice haec verba, post vocem ἐλάλες, adscripta legisse: Διὰ τὸ ἐλέγχεσθαι αὐτὸς ὑπ' αὐτῶν μετὰ πάσης παρρησίας, μὴ δυνάμενοι ἦσαν ἀποφθαλμεῖν τῆ ἀληθείας. Illud certissimum est, nos summo iure illud accommodare posse in veritatis apud nos instaurores primos, vt de illis etiam hoc asseramus: Διὰ τὸ ἐλέγχεσθαι τὸς ἀντιλέγοντας ὑπ' αὐτῶν μετὰ πάσης παρρησίας τῆς πίστεως καὶ δυνάμεως τῶ Θεῶ, οὐκ ἔχον ἀντισηγαί τῆ σοφίᾳ καὶ πνεύματι ᾧ ἐλάλῃσι, quoniam illi, diuina prorsus instructi παρρησία fidei, refutabant, quos tum quidem habebant aduersarios, non poterant hi resistere sapientiae et Spiritui eorundem, quo loquebantur. Si numerum respicias eorum, paucissimi erant, vix scilicet vnus *Caspar Cruciger*, et item alter *Fridericus Myconius*, iidemque aliunde accersiti et mutuati, vterque tamen τῆ σπερῆ καὶ τῶ πνεύματι ζέοντες, Rom. XII, 11. Atque hoc iterum nouum nobis argumentum exhibet, agnoscendi et concelebrandi τῶ Θεῶ τινός, illius scilicet, quod aliquot in Scripturae locis, vt singulare et proprium Dei opus commendatur, verbi causa 1 Sam. XIV, 6, et Iudic. VII, 7, quod non sit IEHOVAE impedimentum ad saluandum, etiam per paucos. Quod cum nobis ad animum reuocamus, merito etiam huc transferimus, et nostras facimus Assae, Regis Iudae, preces ex 2 Chron. XIV, 10, O IEHOVA, non est tecum in adiuuando discrimen inter magnum, et inter eum, cui non sunt vires. Quare adiuua nos, O IEHOVA, Deus noster: Super te enim nitimur, et in nomine tuo venimus contra multitudinem. IEHOVA, Deus noster tu es, ideo ne praeualeat tecum homo! Non quidem defuit, neque auctoritas, neque doctrina, scientiaque et sapientia, neque prudentia, longo rerum vsu confirmata, vel *Caspari Crucigero*, vel *Fridericio Myconio*, vel *Iusto Ionae*, vel *Georgio Spalatino*, quorum opera insignis fuit circa emendationem sacrorum in Academia nostra primam. Multo minus, vel in *Luthero*, vel in *Melanchthone*, ex his praesidiis desiderari quicquam potest, quia etiam hi daumviri, tam in consilio capiendo, pro negotio illo, hinc bene pieque inchoando, hinc feliciter perficiendo, prudentiam omnem, quam, in consilio dando, fidelitatem alacritatemque omnem, nunc *Henrico*, Saxonum Duci ipsi, nunc

XII

eiusdem, ad hoc reformationis opus arduum missis, Legatis ac Ministris vbique et semper comprobarunt. Sed propterea nobis non licet his omnibus, nedum his solis, acceptam referre purioris Euangelicae doctrinae in Academia hac nostra instaurationem: Solius potius Dei hoc opus est. Huic ergo soli sit laus, honor et gloria in sempiterna secula! Agnoscamus quae so hoc omnes et singuli, ingenueque profiteamur, *Deum hic omnia fecisse. Non ergo hominibus, sed Nomini IEHOVAE sit gloria ob misericordiam hanc eius et veritatem*, Psalm. CXV, 1. *Halleluiah! Laudate Deum omnes serui eius, laudate Nomen IEHOVAE. Dicite omnes: Sit Nomen IEHOVAE benedictum, et nunc et usque in aeternum! Ab ortu solis, usque ad occasum eius sit collaudatum Nomen IEHOVAE*, Psalm. CIII, 1, sqq. Hoc est illud, quod fecerunt, ipsi, et Dux Saxoniae Serenissimus, *Henricus*, et Elector Saxonum *Iohannes Fridericus*, qui agnatum illum suum, senio nonnihil iam languentem, atque idoneis Theologis tunc destitutum, consilio et hortatu haud tantum, sed etiam commodatis simul optimis Theologis et concionatoribus, multum adiuit, totumque repurgationis negotium promouit. Nihil enim sibi ipsis attribuerunt, aut viribus suis consiliisque et prudentiae propriae, sed, sicuti a Deo omnia expetiuerunt, ita ad Deum quoque omnia, et ad gloriam Nominis ipsius, retulerunt. Loquuntur illud Rescripta eorundem et Mandata, seu Edicta, publica, quibus, nunc Legatos et Visitatores suos instruxerunt, nunc Professoribus tum temporis Academiae nostrae, speciatimque Theologorum ordini addictis, alia atque alia praeceperunt, quae conseruauit nobis et, litterarum monumentis consignata, praeter ceteros, retulit SECKENDORFIUS, dicto loco, *ad annum MDXXXIX, §. inprimis LXXII*, quibus etiam quaedam nuper adiecit DN. M. CARL GOTTLOB. HOFFMANNVS noster, *in seiner Ausführlichen Reformation-Historie der Stadt und Vniuersität Leipzig, cap. XII, sq.* Idem fecerunt Theologi dicti, quibus hi Principes utebantur, vt reformationis Academiae nostrae ministris primariis. Non enim illi, vt legatos et visitatores horum Principum, sed, vt Dei ipsius ministros, se gesserunt, et publice professi sunt, nihil omnino ad nominis

minis sui laudem et celebritatem, sed omnia ad folius Dei et Christi, Seruatoris sui, gloriam, referentes, de quo luculentissima nobis testimonia dant *Acta et Monumenta publica*, et *Annales omnes* illorum temporum, in primis Litterae eorundem ad alios datae. Ita FRIDER. MYCONIVS, in *Epistola* quadam germanica ad *Electorem per scripta*, Lipsiae MD XXXIX, die XXI. Jun., de inchoata apud nos sacrorum instauratione quaedam Electori referens, et se, et Electorem, semel atque iterum excitat, ad conuertenda omnia, quae tunc quidem eueniebant, ad folius Dei et Christi gloriam *alles allein zum Preiss und Lobe des Allerhöchsten einzurichten, auch der Ehre Christi bey allen sich zu erfreuen*. Sic etiam IVSTVS IONAS, in simili, ad eundem Electorem, eodem anno, die XIX Aug. data *Epistola*, scribit: *Deus solus, plenusque gratia, suo opere, et quasi miraculo quodam portas aperuit Euangelio, ad sui Nominis gloriam, sicuti per vniuersam Misniam, sic etiam Lipsiae et in Academia Lipsiensi*. Et quidni etiam nos in toto hoc reformationis negotio agnoscemus, si non quidem proprie loquendo, miracula ipsa, miraculo tamen similem gratiam et misericordiam diuinam, quare, et dictu, tam inopinato et mirabili modo, accelerauit Deus hoc opus suum, vt in hoc quoque modo *Seit riva* pia grataque mente consideranda nobis solenniterque collaudanda reliquerit? Equidem plerique tum temporis opinabantur, fore, vt infensissimi doctrinae Euangelicae hostes, qui tum Pontificum Romanorum placita, etiam in Academia nostra pertinaciter propugnauerant, partim qui hic Lipsiae tunc Theologiam profitebantur, speciatim, *D. Hieron. Dungersheim ab Ochsenfurr*, *Canonicus Cizenfis*, et *Theol. Facult. Decanus*, mortuus die 2 Martii MD XL, *D. Caspar Deichsel, Loebauiensis*, *Canonicus Misnenensis*, qui, Lipsiam relinquens, Misenam se contulit, *D. Iohann Savver, Winsbemijs*, *D. Melchior Rüdell, Weissenfeldensis*, qui sub initium reformationis Magdeburgum concessit, et *D. Matthaeus Merz, Northeimensis*; partim plures alii, eorundem Pontificum Romanorum fortissimi, vt sibi videbantur, propugnatores, *Cochlaeus, Vicelius, Alfeldius, Murnauinus*, et ceteri, sint multum laboris et difficultatis allaturi illis, quibus

XIV

Academiae emendatio commissa erat. Sed factum est per singularem Dei gratiam, ut, terrore illis diuinitus iniecto, plerique istorum ante aufugerint, quam causam suam defendendam susceperint, reliqui vero, qui aliquam diu hic remanebant, vix vnus et item alter, inceperint latere, et lucem fugere, aspectumque inprimis *Crucigeri* et *Myconii* reformidare, Disputationes maxime eorundem et publica Colloquia, addita hac causa, quod horum aspectum, ut vultum leonis, perhorrescerent. Vera causa haec erat, quod non potuerint resistere τῆ σοφίᾳ καὶ δυνάμει τῆ πνεύματος τῆ Θεῆ, quo loquebantur hi Diuinitati. Verbum enim Dei scriptum urgebant, quod ipsa est δύναμις τῆ Θεῆ, Rom. I, 26, καὶ λόγος ζωῆς, καὶ ἐνεργείας καὶ τομιώτερος ὑπὲρ πάσαν μάχαιραν διζομεν, Ebr. IV, 12, quod vim habet resistendi omnibus Diaboli insidiis, et impertitur vim consistendi contra omnes huius mundi potentes. Hoc est illud verbum quod etiam, si accedat scutum fidei et reliqua πειροπλῆα, quam commendat Paulus, Ephes. VI, 12, sqq., tum vero quam maxime exerit vim extinguendi omnia tela ignita τῆ πονηρίᾳ, et dissipandi omnes malam eius causam defendentes. Atque hoc iterum, ut Θεῶν τι describitur passim in Scriptura sacra; speciatim Psalm. I, 4, Hof. XIII, 3, Esa. XLI, 15, sq., Matth. III, 12. Quod igitur Maria, Mater Domini nostri, ut Θεῶν τι, soli Deo proprium, adscribit et collaudat, Luc. I, 49, sqq. illud nos quoque agnoscimus, grataque mente concelebramus omnes, quod Deus nostrae quoque Academiae, tum quidem temporis, exhibuerit μεγαλειᾶ, qui potens est, et sanctum Nomen eius. Maxime enim conspicuam tum quoque reddidit nobis misericordiam suam, in progeniem et progeniem, timentibus eum. Praefecit tunc quoque robur per brachium suum, et διεσκόπησε, dispersit superbos cogitatione cordis ipsorum. Deraxit potentes de sedibus, et euexit humiles. Quod reliquum est, reticere non debent θεῶν τινα, manifesto quae apparuerunt, cum in re ipsa, quae agebatur, tum in modo et medio, quibus utebantur Euangelii apud nos instauratores primi. Res ipsa, quam urgebant, non erat causa Principis, aut reipublicae, nec, si quidem ἀνεπίθετος loquendum, ipsius Academiae nostrae, sed causa Dei. Atque ad hanc causam Dei quando

eam

eam agendam et defendendam sumserunt, veri Dei confessores, et ipsi quoque Viri Θεόπνευστοι ὡς ἐπὶ τὴν ἀμαρχὸν συμμαχίαν, καὶ ἐπὶ τὴν ἀχέεσθαι βοήθειαν κατ' ἄνωγον, velut ad inexpugnabile auxilium, et ad inuictum praesidium semper confugerunt, vt cum CHRYSOSTOMO loquar, in Homil. II, de Eleemosyn. To. VI. Quemadmodum proinde Assaphus omnia sibi videbatur a Deo precatis et Deum quasi precibus suis expugnasse, quando, in Psalm. LXXIV, 22, surge, inquit, IEROVA et age tuam causam, et litiga litem tuam. Esaias etiam in eo praecipuum diuinumque praesidium suum quaerit, quando Cap. XLIX, 4, se ipsum erigit et confirmat hoc argumento, se causam Dei agere et iudicium suum esse apud Iehouam. Ita etiam LUTHERVS, ad συνέγρυς suos, in causa restitutionis Euangelicae doctrinae, speciatim ad Iustum Ionam, in Epistola CLXXIV. Supplementi Epistol. eius a Buddeo editarum, pag. 200, ego, scribit, causam religionis Christo serio commendavi, et is promisit mihi, suam hanc causam esse, et fore. Quare, cum iam videam, de videsperantes, aduersarios ad dolum conuersos, non valde metuo, imo plus superbo, certus, quod, si etiam nos ad ignominiam nostram stertamus, ipse tamen vigilaturus sit pro causa sua Deus, ad gloriam suam. Idem Megalander, ibidem, Epistola CLXXXIII, p. 212, ad Electorem Saxoniae, Iohannem Fridericum, scribit: Certe hominis non est, eiusmodi doctrinam (intelligit autem doctrinam Euangelii puriorem restituendam) vel excogitare, vel tradere atque introducere. Cum igitur Dei opus sit, omniaque non in nostra manu aut arte, sed in Dei potentia, posita esse videam, age, experiamur, quinam sint futuri illi, qui ipsi Deo bellum mouere et vim inferre audeant. Modus denique et media, quibus vti Reformatores nostri primi, ducentis ab hinc annis, sunt, nihil nobis denuo aliud, quam μεγαλεία τῆς χάριτος καὶ τῆς δυνάμεως τῆς Θεοῦ, quasi ante oculos ponunt. Enim vero nihil neque vi, neque placendi Principibus studio, actum est. Factum potius est disputandi potentia concessa, (sunt haec verba SECKENDORFII, d. l. §. 72.) et toleratis Professoribus et Monachis, qui praeiis opinionibus inhaerent, vt vel ipsi veritatem agnoscerent, vel sponte sua ad errorum complices digrederentur. Atque

XVI

que hic est *θεός*, vere diuinus et Prophetico-Apostolicus, ille modus, quem adhibuerunt omnes quoque sancti Dei Viri. Quemadmodum proinde illi, missi a Christo, et euntes in vniuersum terrarum orbem, ἐμαθήτευσαν omnes gentes, non vi cogendo eas, vel etiam παιδαῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, per sua foris humanae sapientiae verbis alliciendo, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως τοῦ Θεοῦ, in demonstratione spiritus et virtutis diuinæ, conuertendo et conuincendo eas, κηρύσσοντες ἐπὶ τοῦ ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ μετανοοῦσαν καὶ ἀφένον ἀμαρτιῶν, προσέχοντες τῇ ἀαγνώσει, τῇ διδασκαλίᾳ, τῷ ἐλέγχῳ, τῇ ἐπανορθώσει, τῇ παιδείᾳ καὶ παρακλήσει, Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 47. 1 Tim. IV, 12, 2 Tim. III, 16. Ita etiam primi apud nos Euangelicæ doctrinæ instauratores, eandem secuti methodum, vere Prophetico-Apostolicam, potuerunt arduum illud reformationis negotium suscipere non tantum, sed etiam ὅπαντα κατεργασάμενοι σῆμαι, omnibus feliciter confectis, stare, hoc est, interprete Luthero, *alles wohl ausgerichten, und das Feld behalten*, Eph. VI, 13. Sed neque hoc fuit opus illorum Virorum, sed Dei ipsius. Hic enim, horum saltem ministerio vsus, demonstrauit nobis τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ τῆς σοφίας, τῆς χάριτος καὶ δυνάμεως αὐτοῦ. Huic ergo soli et Nomini eius sit laus, honor et gloria, et nunc, et vsque in æternum. Huic soli acceptum referamus τὴν καλὴν παρακαταθήκην ταύτην, depositum illud incomparabile purioris Euangelicæ doctrinæ, commissum nobis ducentis ab hinc annis, omnibus mundanarum diuitiarum thesauris præferendum.

Hic quoque solus Deus noster coniunctis, atque ardentioribus, quam factum huc vsque est, precibus exorandus est, vt hoc quoque τῆς ὑποτυπώσεως τῶν ὑγιαίνοντων λόγων περὶ τῆς πίστεως καὶ ἀγάπης τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, κειμήλιον seruari nobis factum tectumque ab omni periculo, ad omnem posteritatem propagare velit. Velit idem ille Deus, per omnem suam, qua nos complectitur gratiam et misericordiam, nouos quoque nobis largiri, si non *Lutheros* et *Philippos*, ipsos *Crucigeros* tamen, *Myconios* et *Spalatinos*, qui hoc depositum deinceps etiam custodire fideliter, et, ne nobis præripiatur, cauere atque apud Deum

Deum efficienter instare, possint. Sed exaudiuit iam has preces meas I E H O V A, Deus meus, qui, et mihi, et omnibus ἀληθῶς προσκυνηταῖς, promisit, quod ante nobis respondere velit, quam eum inuocemus, et adhuc loquentes nos audire, Esai. LXV, 24, Ioh. IV, 23. Obtulit enim mihi, at quanta, et quam incredibili animi laetitia perfuso! summorum in Theologia honorum Candidatos tres, Viros *Crucigero*, *Myconio* et *Spalatino*, numero non minus, quam studio, et doctrina, et rerum usu, et pietate, et prudentia, meritis etiam in Ecclesiam, et inprimis zelo diuino, καὶ δυνάμει τῆς πνεύματος τῆς Θεῆς, similes. En vitam eorundem (gratam Viris doctis relationem) non meis, sed propriis eorundem, verbis descriptam, quia veritus sum, vt, vel concinnius, vel accuratius, quam ipsi fecerunt, eam edifiererem.

Sic vero Candidatus noster primus :

Natus ego, CHRISTIANVS WEISIVS, Lipsiae fui d. 5. Octobr. 1703. Parentibus post fata etiam desideratissimis : Et Patre quidem b. Christiano Weisso, SS. Th. Doct. et ad aed. Thom. Pastore Scholaeque Inspectore; Matre autem Catharina Regina, b. Ioh. Bohonii, Grat. Ordinis Medicorum Decani, et Catharinae Sabinae natae Hülsemanniae filia. Iuuentutem priuati formarunt praeceptores, inter quos Pl. R. Ioh. Mart. Clauderi, nunc apud Doelzigenses in agro Martisburgensi Pastoris, merita eminent. Academiae ciuibus d. 19. Sept. 1719. Magistratum t. t. Illustri I. B. Menckenio administrante, rite adscriptus, Ebraicas institutiones Magnif. Carpzouii et Pfeifferi, b. D. Ludouici, b. H. B. Starckii, et Max. Reu. Wilischii, sectatus sum: Philosophiam S. R. Olearius, Rüdigerus, in primis vero Magn. Klausngius, priuatissimis institutionibus docuit; Historiam Illustr. Menckenius et Franckensteinus: Sacram vero S. R. Sibirusenarravit. Theologicas institutiones b. Cypriano, b. Schmido,

XVIII

dio. Magn. Klausungio, Magn. Deylingio, Magn. Carpozouio
 debeo. In quo cum decurrerem studio, 1721. Baccalaureatum
 philosophicum, 1723. Magisterii iura, consequabar, quae disser-
 tatione, de duplici Petra in deserto percussa, Ex. XVII, 1-7.
 et Num. XX, 1-13, d. VII. Aug. 1723. et binis de Numinibus
 vialibus, quas pro loco vocant, d. XX. Sept. 1724. et XII.
 eiusdem 1725. asserui. Sequenti anno 1726. Baccalaurèi
 Theologiae gradum obtinui, et sub umbone Magnif. Boernerii,
 meletema quoddam Theologicum de precibus Messiae pro con-
 sequenda misericordia Patris Ps. XL, 12. d. XVIII. Iun. pro
 completionem gradus examini S. R. Facultatis subieci. Eo-
 dem anno, Amplissimi Senatus decreto, m. Nouembr. Cateche-
 tae, et 1729. Dom. Palmarum V. D. Ministri in aede Petrina
 prouincia mihi demandata fuit. Sub-Diaconi ad aedem Tho-
 manam officium 1731. m. Nou. Dei gratia ac Patronorum fauore,
 mihi collatum fuit, quod constanti Magistratus fauore 1737.
 Dom. IX. p. Trin. cum Diaconi ad D. Nicolai munere habent-
 isque a meridie concionibus sacris, quae paterna Dei clemen-
 tia fuit, commutauit. Cathedram iterum 1728. conscendi, de
 iureiurando per Deum in Dan et viam Bersebae ex Amos VIII,
 14. disputaturus; priuatis interim Ebraicis ac Theologicis prae-
 lectionibus, disputatoriis quoque exercitiis, per sedecim annos,
 non interrupta serie studiosae iuuentuti inferuire studui. Ipso
 denique hoc anno nouam Librorum Ecclesiae nostrae Symboli-
 corum geminam editionem curauit. Rei familiaris curam d. 21.
 Maji. 1731. Dorothea Elisabetta b. Nicol. Zehii, Mercatoris, et
 Dorotheae Sabinae natae Bohniae filia, suscepit, ex quo ma-
 trimonio Christiana Dorothea, et Christianus Samuel supersunt,
 quibus Deus ex alto benedicat. Inferior longe sum omni mi-
 sericordia omnique fide, quam in seruum tuum, o Pater alme,
 contulisti: Tibi me totum trado.

Secun-

Secundus Candidatorum haec de semet ipse refert:

Ego, M. ROMANVS TELLERVS, in lucem editus sum Lipsiae, anno supra millesimum Septingentesimum tertio, die XXI. Febr., eodem die denuo natus. Patrem habui b. ROMANVM TELLERVM, R. F. SS. Theologiae Licentiatum, atque ad aedem Nicolaitanam Archi-Diaconum. Matrem veneror vitae superstitem, honestissimam foeminam SYSANNAM MARIAM, e gente KROMEIERIA. Ab ineunte aetate omnem Parentes adhibuerunt diligentiam curamque, ad animum tenerum vera pietate et doctrina imbuendum. Artes liberales didici adolescens, eorum opera, quibus Praeceptoribus usus sum, inter eos primo nominandi plurimum reuerendi Dom. GODOFREDI MICHAELIS, S. Theol. Baccalauri, hodie Pastoris, de Ecclesia Leutschena optime merentis. Annum agens aetatis decimum sextum, Academiae patriae ciuitati adscriptus sum, Rectore Magnifico IOANNE BURCHARDO MENCKENIO, Icto et Polyhistoro, post fata celeberrimo. Constitutum mihi erat primum, arti medicae dare operam. Re autem diligentius expensa, exploratisque viribus, mutauit consilium, atque ad sacrosanctas litteras animum adplicui, neque tamen nullam defaecatae philosophiae habui rationem. Docentes audiui summos Viros, IOANNEM CYPRIANVM, IOANNEM SCHMIDIVM, et, quos diu conseruet Deus! IOANNEM PHILIPPVM OLEARIVM, IOANNEM GOTTLOB PFEIFFERVM, viam ad hebraeae linguae notitiam monstrante b. GOESGENIO. Primam lauream, Amplissimi Philosophorum Ordinis beneficio, nactus sum anno M DCCXIX. Proxime autem sequente, ob Patris indulgentissimi obitum mihi fu-

c 2

nestif

*nestissimo anno, ad Magisterii dignitatem adeundi facta mihi
 fuit potestas. Post biennium, Summe Venerabilis Facultas
 Theologica honores et iura Baccalaureatus, qui dicitur, in me
 contulit, et circa idem tempus, Magnifici Senatus propitia in
 me voluntate, Catecheta ad aedem Petrinam constitutus fui.
 Deinde triennio, et quod excurrit, peracto, eorundem Patro-
 norum gratia, Concionatoris Sabbatici in aede Thomana
 mihi datum fuit officium. His partibus per tres fere annos
 functus, praeter omnem spem atque opinionem, Martisbur-
 gum, Amplissimi illius reipublicae Senatus benevolentia, DEO
 rem iuuante ac dirigente, vocatus sum, ut ibi Diaconi in aede
 S. Maximi munus in me susciperem, cui vix vnus anni ac di-
 midii spatio praeesse mihi licuit. Mox enim reuocatum in vr-
 bem patriam, PATRES CONSCRIPTI, Diuinae voluntatis
 interpretes, me iusserunt, Ecclesiae Petri et primi Cate-
 chetae prouinciam administrare. Reuersus igitur, quod nescio
 qua natale solum dulcedine ducit, ipsis Calendis Ianuariis
 MD CC XXXII. nouum munus, Diuina adiutus clementia
 auspiciatus sum. Anno eodem, die XXVII. Februarii mensis,
 in matrimonium duxi WILHELMINAM SOPHIAM, Virginem
 filiam summe reuerendi FRIDERICI WILHELMI SCHV TZII,
 Doctoris Theologi, et Pastoris in aede Thomana, quem Socer-
 rum desideratissimum, nunc rebus mortalium ereptum doleo.
 Ut vero continuam mihi demonstrarent munificentiam suam ci-
 uitatis patriae PATRES, PATRONI MAXIMI, anno
 MDCCXXXVII. dederunt mihi officium Concionatoris Me-
 ridiani et Diaconi in aede Thomana, nuperrime autem hoc ipso
 anno, Ecclesiae Vespertini. Interea anno MDCCXXXVIII.
 singulari Dei Prouidentia factum est, ut Regia Clementia,
 qua*

qua Augustissimus AVGVSTVS noster, ad me respexit, munus Professoris Theologiae extra Ordinem mihi fuerit demandatum. Quam utramque spartam, quamdiu DEVS vitam largietur viresque, qua fieri poterit assiduitate ac fide, obseruabo.

Restat tertius et vltimus Candidatorum nostrorum, qui haec de se profitetur:

M CAROLVS GOTTLOB HOFMAN-
 NVS, natus est Sneebergae anno 1703. d.
 1. Oct. patremque habet felicissimum iuuentutis ad
 humanitatem informandae magistrum, Dn. Michaelem Hof-
 mannum, ibidem Lycei Rectorem meritissimum; matrem au-
 tem colit Veronicam Elisabetham, natu Richteriam, oriun-
 dam e gente Gantzlandia, quae olim a tyranno Duce de Alba
 ex prouinciis inferioribus ob religionis Euangelicae professionem
 pulsa: quibus suis parentibus otiannum superstitionibus pro sum-
 ma cura et indulgentia, qua ipsum a teneris fouerunt, grates
 decantissimas persoluit. In Lyceo Sneebergensi iis, quibus pue-
 rilis aetas impertiri debet, literis operam dedit, praeeunte paren-
 te suo et b. Dopperto, reliquisque scholae magistris, maximam
 partem demortuis: Sed a patre suo et in sacra Oratoria et in
 theologiae praecognitis, priuatos intra parietes institutus est,
 adeo quidem matura aetate, vt ipse recordari nequeat, quan-
 do prima linguarum rudimenta perceperit. Post haec in Aca-
 demiam Lipsiensem delatus, ab Excellentissimo D. Siero hu-
 manissime exceptus, multisque beneficiis ornatus est: Praeterea
 at b. D. Rechenbergii consiliis saluberrimis instructus ad philo-
 sophiam,

sophiam, philologiam et historias accessit, audiuitque viros de hac Alma optime meritos, D. Mülleros, L. Crellios et Ludouicios M. Gebaueros et Goesgenios: sed in theologia porissimum adhaesit b. D. Io. Schmidio et Dn. D. Henr. Klaufringio, quorum illi leuem terram, huic diuturnam vitam omnemque diuinam felicitatem gratissima mente apprecatur. Audiuit etiam praelectiones Magnificorum atque excellentissimorum Dnm. D. Boernerii, D. Deylingii, D. Pfeifferi, cum iste de sacra exegefi, ille in epistolam S. Pauli ad Thessalonicenses et in historiam Ecclesiasticam, hic in Psalmos commentaretur. Peracto studiorum cursu, absolutoque amoenissimo itinere, aliis viam ad sanctiores literas munire incepit, defendens dissertationes quasdam, non solum pro loco in Natione, sed et Facultate Philosophica, obtinendo. Simul autem annos quam plures, institutiones, tam philologicas, quam philosophicas, immo vero et theologicas, in primis homileticas, academicae iuuentuti praelegit. Iussus hinc est a venerabili Facultate Theologica, sacras orationes in templo Academico a meridie cum aliis habere, vnde vergente anno 1730. ab illustri Senatu urbis huius ad conciones Sabbathicas in aede S. Thomae euocatus, paucas post hebdomadas Diaconi substituti et concionatoris Vespertini ad aedem S. Nicolai munere ornatus, tandem ab anno 1737. matutinas orationes sacras in aede S. Petri habuit. Nunc autem a Serenissimo atque Potentissimo Poloniarum Rege et Electore Saxoniae in Academiam Vitembergensem mittitur, munere Professoris Theologiae et Ephori Regio Electoralium Alumnorum condecoratus. Quae in lucem emisit scripta erunt fere haec:

Disp.

Disp. an controuersia Nestoriana olim agitata fuerit Logomachia: Praefide Dn. D. Klausingio, an. 1725.

— *Defensio huius disputationis contra obiectiones LACROZII, an. 1731.*

— *de Galatia antiqua. an. 1726.*

— *de stupidis Galatarum ingeniis. an. 1728. Pro loco in Facultate Philos. disp. I.*

— *de profanis Galatarum Conciliis. an. 1728. pro loco disp. II. Tractatus, de methodo Horatium interpretandi. an. 1729.*

— *de Genuina linguae graecae modulatione sine accentibus an. 1729. recusa est auctior et emendatior. an. 1733.*

— *de antiquitatibus frustra in S. Codice quaesitis. an. 1734.*

Libri: Evangelischer Trost und Unterricht für angefochtene Schwachgläubige. an. 1734. in 8vo.

— *Auslegung der Frag-Stücke Lutheri, an. 1735. in suo. qui liber Belgico idiomate a S. S. donatus prodiit sub rubro: De Onbedrieglyke Hemels-Weg der waare Belyders van Iesus Christus. Amsterd. met priuilegie: an. 1737.*

— *Pritii introductionem in N. T. recusam, singulis paginis et integris dissertationibus auctam, an. 1737.*


— *Ausführliche Reformation-Historie der Stadt und Universität Leipzig. an. 1739.*

De aliis orationibus sacris, et tractatibus minoribus ab ipso diuulgatis non est, ut plura addantur.

Quod

Quod reliquum est, nihil omnino in his Triumviris, ad similitudinem cum *Crucigero*, *Myconio* et *Spalatino*, omnibus Theologiae Doctoribus rite constitutis, desiderari potest, quam ut illi etiam his honoribus in Theologia summis, ex merito publice solennique ritu a Majoribus nostris accepto exornentur. Quam ob rem, cum et illi, grauissimis, quibus in Ecclesia et Academia funguntur, muneribus spectatissimi, et diuinius scientiae praestantia, pietate, que et sanctimonia, insignes maxime viri, posteaquam suae sacrarum litterarum peritiae luculenta Collegio nostro documenta dederunt, puriorisque doctrinae studium satis approbarunt, hos honores ab Ordine nostro rite expetiuerint, digni sunt habiti ab eodem, quibus, summos in Theologia honores capeffendi LICENTIA conferatur. Ego proinde, pro ea, quae mihi eam in rem data est PROCANCELLARII, potestate, in Panegyri Academica, Deo volente, die XXVI. Augusti horis post meridiem, et insequente die ante meridiem, more institutoque Majorum celebranda, laudatis antea Candidatis, Dissertationes, quas conscripserunt, publice propugnandi copiam faciam, eosdemque postea SS. Theologiae Licentiatos, solenni ritu renuntiabo. Huic autem Panegyri instituentiae, ut MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR, ILLVSTRISSIMI COMITES, VTRIVSQUE REIPVBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, CVM FLORENTISSIMA STVDIOSAE IYVENTVTIS CORONA, perhonorifica exoptatissimaque praesentia sua, summum conciliare velint splendorem, omni, qua par est, obseruantia et humanitate, rogamus. P. P. Lipsiae Dom. XII. p. Trin. A. R. S. M D CC XXXIX.

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



1888
18
Deum in opere reformat. Calc. 686
Saxonia omnia fecisse

Q. D. B. V.

AD

PANEGYRIN ACADEMICAM

SOLENNI

TRIVM

SS. THEOLOGIAE

LICENTIATORVM

RENVNTIATIONI

SACRAM

D. XXVI. AVGVSTI A. MDCCXXXIX.

MORE INSTITVTOQVE MAIORVM
CELEBRANDAM

ORDINIS THEOLOGICI FAVTORES OMNES

QVA PAR EST OBSERVANTIA ET HVMANITATE
INVITAT

HENRICVS Klausung

S. TH. D. ET PROFESSOR PVBLICVS ORDIN.

H. T.

PROCANCELLARIVS.

